



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

56. An moribundus, qui non audit, neque loqui potest, sed tantum pugno
pectus suum pulsat; suspirans in caelum oculos tollit, vel respicit aliquam
imaginem? hoc vidente Sacerdote vel aliis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

RESOL. LIV.

De absolutione Sacramentali largienda moribundo. Ex part. 3. tract. 3.

Prologus ante Resolutionem primam dicti Tractatus.

§. 1. **D**ifficilis est in praxi sapius occurrens illa quæstio; ideo pro ejus explicatione exacta quinque casus confidero. Primò, quando moribundus nequit loqui, sed præfente Sacerdote nutibus absolutionem ab illo querit. Secundò, quando præfente eodem Sacerdote, signa tantum exhibet contritionis, v. g. percutiendo pectus, levando oculos ad caelum cum suspiriis, &c. Tertio, quando absente Sacerdote querit voce, vel nutibus confessionem, vel exhibet tantum signa contritionis, & illo adventante astantes tentantur de hoc. Quartò, quando testis absens ab infirmo, ut v. g. ante domum in platea, supradicta signa, & petitionem confessionis Confessario manifestat; & tandem. Quintò, quando infirmus sensibus delitutus, nihil petit, vel nutibus significavit, sed Sacerdos invenit eum morti proximum: de his igitur casibus seorsim ad majorem difficultatis elucidationem agemus; ideo quæro primò.

RESOL. LV.

Sup. prima diff. huius tituli late in tom. 4. tr. 3. Ref. 155. à principio usque ad §. ult. & signa-ter à lin. 3. & lege etiã hic supra doctrinam Refol. 17. §. Idem à l. n. 2. & Ref. 19. §. Aliquit, & in to. 3. tr. 1. Ref. 3. rec. rater in ejus §. Quarto possit, & v. de Ref. nec seq.

An sit danda absolutio ei, qui nutibus tantum querit à Confessario absolutionem?
Et an moribundus, qui non valet nisi per signa contritionis sua peccata confiteri, lucratur Jubilæum, quia hæc est vera confessio Sacramentalis? Ex p. 3. tract. 3. Ref. 1.

§. 1. **N**egativè respondent ferè omnes Thomista recentiores, viri quidem docti, ut Sotus in dist. 18. q. 2. art. 6. ad 1. Canus relect. de pæn. p. 1. §. ut inhaerendo. Lopez in instrum. p. 1. c. 18. Conradus in respons. cas. conf. p. 1. q. 10. Medina in sum. p. 2. c. 8. & 19. reg. 6. Nugnus, Alvarez, Coquetius, Avila ubi infra in ref. 3. hanc sententiam docent etiam Grafius p. 1. lib. 1. c. 36. o. 25. Pedraza in sum. c. 7. Angles in 4. p. 1. de Confessione, art. 2. diff. 10. Abulenfis in Auth. q. 79. Navarrus in man. c. 26. n. 7. cum aliis. Et ratio est primò, quia per talem confessionem non datur notitia Confessori, quam antea non haberet; & ideo colligit Tridentinum sess. 14. c. 5. confessionem in genere non sufficere. Secundò, quia per illam confessionem nihil proponitur absolvendum, cum actiones debeant esse circa particularia; & cum confessio sit actus judicialis, debet ex consequenti versari circa aliquod particulare. Tertio, quia vel remittuntur omnia peccata directè, & hoc non; quia cum non fiat confessio omnium, non possunt remitti directè; illa enim hoc modo remittuntur, quæ clavibus subjiuntur; vel solam directè peccatum in communi, & hoc non potest, quia peccatum in communi non est remissibile. Quartò, non sufficit voluntas confitendi absque actuali confessione, ut quis à peccatis absolvatur; sicut non sufficit voluntas habendi verum dolorem, sed requiritur ut referatur ipsa confessio, & actualis dolor. Sed in casu proposito solam datur voluntas confitendi, ut patet. Ergo non erit adhibenda absolutio.

2. At his non obstantibus contrariam sententiam tenendam esse puto; quam tenebat Regius in ref. cas. 39. n. 4. Alphonsus de Leone in tr. de officio & potest. confess. tom. 1. recollect. 6. n. 121. Pharaonius de sacram. Pæn. tr. 1. sess. 16. cas. 15. Thomas à Jesu in Tribun. conf. c. 11. §. 16. Ragucius in Lucerna Pa-

roch. tr. de absolut. q. 97. Yribarne in 4. tom. 2. dist. 18. q. unic. disp. 16. sect. 5. concl. ult. Corduba lib. 5. de Indulg. q. 39. Suarez tom. 4. disp. 23. sect. 1. n. 5. Salas in p. 2. tr. 8. disp. unic. sect. 5. n. 56. Turrianus de pæn. q. 9. art. 2. disp. 30. dub. 1. Megala in 1. p. lib. 1. c. 11. n. 8. Pitigianus in 4. sent. tom. 2. disp. 17. q. unic. art. 8. concl. 4. Ruardus tom. 1. contra Lutherum, art. 5. post initium. Henriquez lib. 6. c. 10. n. 7. Coninch de Sacram. disp. 7. dub. 10. n. 16. Reginaldus de prudent. confess. c. 21. p. 2. n. 91. Fernandez in instrum. docum. 4. n. 32. & à fortiori omnes Doctores citandi in quarta resolutione pro secunda opinione.

3. Et ratio est, quia ex Christi institutione confessio sacramentalis debet esse integra, & tamen necessitas facere potest, ut confessio mutilata sufficiens sit ad obtinendam sacramentalem absolutionem; igitur necessitatem similiter facere posse dicendum est, ut ad eandem obtinendam confessio fieri in genere de propriis peccatis, quando ad speciem, & numerum descendit non potest. Et confirmatur, quia si quis recorderetur se peccasse mortaliter, & oblitus est cujus speciei fuerit illud peccatum, potest, & debet confiteri se peccatum mortale admisisse, cujus nequit in particulari meminisse; igitur in casu proposito penitens dat veram materiam, scilicet, veram sui ipsius accusationem cum ostensione doloris, quantum hic, & nunc dare potest, ex qua Sacerdos in hoc foro cognoscit penitentem peccasse, & eum de hoc dolore, & consequenter cognoscit statum penitentis, quantum hic, & nunc cognosci potest; quæ omnia absolute sufficiunt, ut sacramentaliter absolvi possit; nam Deus à nobis non requirit aliam confessionem, quam quæ nobis hic & nunc possibilis est, & ideo hanc sententiam determinant Canones, & Rituale Romanum Patuli V. jussu editum, ut in sequenti resolutione videbimus.

4. Restat modò respondere ad argumenta superioris adducta. Itaque ad primum dico in casu proposito dari notitiam sacramentalem imperfectam quidem, & quæ nulla aestimaretur, si voluntariè omitteteretur, quomodo loquutum est Concilium Tridentinum. sed quia aliter fieri non potest, satis est. Ad secundum proponitur absolvenda offensio divina, ut talis est, & materia proxima est confessio illa particularis, & effectus absolutionis versatur circa personam particularem. Ad tertium, remittitur directè offensio divina, indirectè singula peccata secundum proprias species, quæ remanent subjiacienda clavibus, quod etiam dicendum est in casu oblivionis speciei peccati. Et tandem ad quartum respondeo, hic non dari voluntatè confitendi solam, sed, ut dictum est, datur materia certa peccatorum, saltem in communi, fundata in voluntate, quam penitens manifestavit Confessario confessionem, & absolutionem nutibus postulando. Sed pro coronide hujus resolutionis, notandum est hic obiter, & curiosè, moribundum, qui non valet, nisi per signa contritionis, sua peccata confiteri, lucrari Jubilæum, quia hæc est vera confessio sacramentalis, & ita adversus Graffum in appen. lib. 2. c. 5. n. 11. docet novissimè Bartholomæus à S. Fausto in tr. de Jubilæo, lib. 4. g. 4. Verum ad explicationem secundi casus deveniamus.

RESOL. LVI.

An moribundus, qui non audit, neque loqui potest, sed tantum pectus suum pulsat, suspirans in caelum oculos rollit, vel respicit aliquam imaginem; hoc videns Sacerdote, vel aliis testificantibus, sit absolvendus?

Et an sit absolvendus Sacerdos, qui inchoata Missa,

si corpore prius famis voce amissa, cadens ad interitum moreretur? Et quid est dicendum de illo, qui significans se cupere confiteri, & ideo ad genus Sacerdotis accedens subitro applexia tangitur, antequam illud verbum profert, an talis sit absolvendus? Ex p. 3. tr. 3. Ref. 2.

§. 1. Respondet negativè Megala in 1. p. lib. 1. c. 11. n. 8. Thomas à Iesu in *Tribunali conscientie*. c. 2. §. 1. c. in fine. Ioannes Franciscus Suarez in *encliridio casuum conscientia* lib. 5. verb. *Confessor*. fol. 3. §. 6. §. petens *Confessarium*. Bonacin. de *Sacram.* sect. 2. §. 4. n. 6. & Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 2. 3. sect. 1. n. 11. ubi docent, moribundo in tali casu non sat esse adhibere signa contritionis; sed necessarium esse illa adhibere in ordine ad claves, petendo confessionem, seu vocando Sacerdotem, saltem signo, vel nutibus; quod non accidit in casu proposito. Ergo, &c.

2. Sed his non obstantibus, affirmativam sententiam tenet Zambranus de *cas. tempore mortis*, cap. 4. dub. 2. sect. 4. Pharaonius de *Sacr. Pœnit.* tr. 1. sect. 16. cap. 15. & Layman in *Theol. mor.* lib. 5. tr. 6. c. 8. n. 4. eo quod signa penitentia, quæ præsentem mortis periculo ab infirmis eduntur, conferri debeant ad sacramentalem absolutionem directam, cum in tali statu optimum sub animæ remedium desiderare soleant. Quapropter, licet infirmus in phrenesim lapsus absolvi non possit, etiam si cum sanus esset, & nihil de mortis periculo cogitaret, pectus secundum morem pulsaret, aut sublati oculis in cœlum dixerit, *Miserere mei Deus*; tamen si talia signa edidit morti vicinus, cum plura verba proferte non possit, præsumptio plerumque fieri potest, quod sacramentalem absolutionem à Sacerdote petiverit. Ita Layman.

3. Et ante illum, hanc sententiam docuerat etiam Ioannes Chapeavilla tr. de *Sacramentis ministrandis tempore peccati*, c. 3. §. 11. & quia Codex rarus est, ponam ejus verba. Querit igitur, an Parochi teneantur absolvere infirmos signa contritionis ostendentes, & respondet, teneri absolvere sub conditione; quia (ait ille) in casu extremae necessitatis in quo veramur, non requiritur expressa, sed sufficit tacita petitio confessionis. Et probatur primò, auctoritate D. Augustini *serm.* 44. Tunditur, inquit, pectus, ut arguatur quod latet in pectore, ut evidenti pulsu occultum calligetur peccatum; reddit enim rationem, quare qui audiunt *Confiteor*, tundunt pectus, scilicet ut manifestent peccatum, & sic illud castigent. At huiusmodi manifestatio peccati est confessio saltem tacita ad ejus remissionem; ergo in illis signis reperitur confessio. Secundo, signa contritionis manifestant contritionem de peccato, quia aliter non essent ejus signa. Ergo manifestant peccatum, ut remittatur, contritio enim est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso. Tertio, quia in illo articulo signa illa fieri non solent, nisi ad manifestationem peccatorum, quæ pungunt conscientiam, & quorum remedium queritur medicina penitentia; vult enim existens in illa necessitate declarare signis illis contritionis, quod non potest voce, qua libenter si posset confessionem peteret; nam videmus etiam maximos peccatores, si vel unicum verbum proferte possint, ardentissime illo tempore, efflagitare confessionem.

4. Nec valet dicere, quod in illis signis contritionis sit inclusa aliqua peccatorum confessio, sed non illa quæ fit Sacerdoti, quæ sola est sacramentalis. Respondet, etiam Sacerdoti faciendam contineri. Qui enim petit absolutionem verbis expressis, vel signis contritionis, non petit illam à laico, sed ab Ecclesia, & ejus ministro, qui habent potestatem absolvendi peccata, atque aded à Sacerdote, & ita idem

est petere confessionem, vel absolutionem, verbis vel signis contritionis, ac dicere, Aliquis Sacerdos absolvat me à peccatis, quæ his verbis, vel signis contritionis manifesto in genere, meliori modo quo nunc possum. Hæc omnia Chapeavilla, quæ p. Confessarii in mente teneant, & illa in praxim, me consulente, & impellente deducant, absolvendo supradictos infirmos sub conditione.

5. Notandum est tamen hic obiter ex supradictis, Sacerdotem, qui sano corpore nihil de mortis periculo suspicans Missam inchoasset, & in fine introitus decidisset mortuus, non posse à peccatis absolvi, licet generalem confessionem fecisset ad Deum coram ministro, & Ecclesia; quia illa confessio non fuit sacramentalis, neque directa ad accipiendam absolutionem in foro penitentia. Ita Layman ubi supra. Contrarium tamen dicendum est de illo, qui significans se cupere confiteri, ideoque ad genus Sacerdotis accedens, subito apoplexia tangitur antequam aliud verbum profert; talem enim instante mortis periculo absolvendum esse non dubito; quia in ordine ad confessionem sacramentalem dedit generalia signa, quibus ostendit se peccasse, & de eo dolere. Ita Coninch. in *responsione pro absolutione moribundi*, n. 16. quidquid dicat Coquetius in *dissertatione de absolutione per literas*, c. 7. n. 21.

Sup. hoc infra in Resol. 64. §. ult. ad medium, & in Res. 65. §. Pellizzarius

RESOL. LVII.

An sit absolvendus moribundus si exhibeat supradicta signa, sed dubitatur, an sint orta ex contritione, vel ex angustia mortis? Ex p. 3. tr. 3. Ref. 3.

§. 1. Respondet affirmativè cum Sancio in *selectis* disp. 44. n. 35. in fine, ubi sic ait: Sub conditione impertienda erit absolutio; quando ambiguitas intercedet, num signa sint ex dolore orta, vel ex angore, & angustia mortis, cum prodesse possit infirmo, & non obesse sacramento; vitatur namque sacrilegij periculum conditione apposita, sic ille: & ita etiam docet Layman in *Theol. mor.* lib. 5. tr. 6. c. 8. n. 4. ubi hoc pacto asserit: Si consideratis circumstantiis, & examinatis his, coram quibus talia signa edita sunt, res dubia esse videatur, absolutio tamen conferri poterit sub conditione; si talis materia confessionis sufficiens sit ad absolutionis ministracionem.

Sup. hoc infra in Res. 65. §. Ayerla, eustim ante medium, verb. Sic quando, & cum eodem Sancio tantum hic citato in to. 8. tr. 1. Ref. 3. §. Imo, breviter in fine.

RESOL. LVIII.

An Confessarius possit absolvere moribundum, qui in ejus absentia confessionem petiit, vel signa penitentia fecit, aliquo hoc restante? Idem inferitur de petente Baptisimum, & Extremam-Untionem, si post petitionem amisit loquelam. Ex part. 3. tr. 3. Ref. 4.

Sup hoc in tom. 8. tr. 1. Refol. 3. à lin. 5. & Resol. cita a in lin. 2. hujus textus hic est supra Resol. 55. & supra in tr. 3. Refol. 74. signanter inter medium & finem §. 1. verb. unde Alvarez, & in to. 4. tr. 3. Refol. 155. à lin. 1. & lege can. usque ad §. ult.

§. 1. Negativè respondet à fortiori DD. citati in *resol.* 1. in principio, & novissime docent hanc sententiam Petrus Fay de *Sacram. Pœnit.* in *addit.* ad 3. p. D. Thom. q. 9. art. 3. disp. 3. ad 9. argum. Franciscus Coquetius *dissertat. de confessione per literas*, c. 7. n. 21. Didacus Alvarez in p. 2. D. Thom. q. 19. art. 6. disp. 86. per totam. Latorius tr. de *indulgen.* p. 2. c. 10. n. 130. & hanc sententiam ex Theologis Societatis Iesu, tenet novissime Turrianus de *pœnit.* q. 9. art. 2. disp. 32. dub. 4. & ex nostra Religione Alphonsus de Leone *tract. de officio, & potestate Confessar.* tom. 1. recollect. 16. n. 123.

2. Probatur primò, quia confessio facta Sacerdoti, & accusatio propria propriorum peccatorum, est materia essentialis, & proxima sacramenti

